

libellum; & deinde Monasticam vitam amplexus ob eius egregias virtutes, ac sanctitatis famam Episcopus Rothomagi fuit electus. Angustiniana pariter inter sacras Virgines velari voluit; qua factio (subditi Auctor Vitae) privata pulchritudini, & speciei elegantis extemplo est reddita, ita ut eundem dicerent, quia eam Christus sibi Sponsam elegisset perennem.

Tandem dissolvitur Sponsalia propter delictum heresis, si in illud Sponsus, vel Sponsa incidant; similiter ob quodcumque grave aliud delictum, ex quo infamia generetur, propter iacturam honorum, & paupertatis supervenientis; ob graves inimicitias exortas inter eisdem Sponsos, vel ipsorum consanguineos; ob sævitiã, seu morum asperitatem, in hisdem Sponsis detectam. Si ipsi Sponsi fornicentur cum alia persona; quamvis Sponsa vi ab alio fuisset violata; de qua causa, & eius probatione videnda est Rota part. 10. rec. Decis. 19. Item si superveniat in Sponsis aliquod impedimentum, vel dirimens, vel impediens tantummodo Matrimonium inter illos; (quamvis impedientia tantum, Voto castitatis excepto, non dissolvere Sponsalia plures DD. dicant apud Salmanticenses d. cap. 2. num. 69.) Ac denique si ob aliquam novitatem malus exitus Matrimonii timeatur, aliavè causâ insurgant, quæ satis essent, conjuges separare quo ad thorum; nam propter earum quamcumque Sponsalia dissolvere, & ab eis resiliere Sponsi possunt; est cum juramento inita fuissent, ut late demonstrant DD. omnes supra citati, ac præcipue Maffius d. disp. 7. numer. 324. & Eminen. Cardin. de Lauræa d. disp. 37. §. 8. per totum; in quo Canones, rationes, & auctoritates pro prædictarum omnium causarum validitate in dissolvendis Sponsalibus abundanter cumulat; prout etiam Salmanticenses d. cap. 2. à n. 70. & segg. & Rota part. 14. recent. Decis. 185. num. 3. & segg.

Pro complemento hujus Decisionis adhuc duo sunt Corollaria addenda, ac notanda. Primum est, quòd quando aliqua ex supradictis causis Sponsalia dissolvantibus certa est, ac indubitata, utroque Sponsus potest in utroque foro à Sponsalibus resiliere: at si dubia causa sit, aut non ita certa, debet Judicem adire, & sententiam super dissolutione Sponsalium postulare. Basilius Pontius d. libr. 12. cap. 18. num. 8. Aversa quest. 8. scilicet. 16. Sanchez libr. 1. disp. 69. num. 7. & 8. & alii apud Salmanticenses d. cap. 2. num. 100. & segg. ubi n. 104. advertunt in tali casu Judicem debere esse Ecclesiasticum, & quòd pro foro conscientie sufficit unus testis, omni tamen exceptione major, qui testificetur super veritate causæ, per quam Sponsus vult dissolvere Sponsalia: at in foro fori necessarii sunt saltem duo testes; & jure quidem, nam in controversiis circa Sponsalia requiruntur plene, ac conclusentes probationes, & quòd testes sint bonæ famæ, & conditionis. Rota part. 1. recent. Decis. 207. & part. 14. Decis. 242. num. 3.

Secundum Corollarium notandum est, quòd si contrahentes Sponsalia affecti sint aliquo impedimento dirimente, seu impediendo tantum Matrimonium inter illos, ita ut opus sit impetrare dispensationem; ea obtenta opus est novo consensu pro validitate Sponsalium; quia ab initio erant nulla; & nulla remanent, est habita sit dispensatio, nisi per novum consensum à Sponsis ipsis revalidentur. Rota part. 5. recent. Decis. 605. & part. 8. Decis. 107. nec non part. 12. Decis. 227. n. 22. ubi Barbosa DD. cumulat in cap. Non debet. De Consanguinit. & Affinit. atque Ludovici Decis. 410. Notet has auctoritates Studiosius Lector, ne fallatur à DD. contrarium docentibus, inter quos Sanchez lib. 5. disp. 5. quest. 3. n. 12. Basilius Pontius libr. 3. cap. 15. num. 5. Comitulus in Resp. Moral. libr. 1. q. 145. Rebellius part. 2. libr. 2. quest. 10. scilicet. 6. num. 46. & alii, quos nominat, sed consultat Diana part. 3. tract. 4. resol. 289.

Et part. 11. tractat. 2. resol. 70. que nunc existunt in Dianæ Coordinati tom. 2. tract. 6. resol. 19. & resol. 35. in qua §. 5. citat plures alias Decisiones Rotales; & merito quidem, nam propter eminentiam Auditorum Rota, eorum opinio prævalere debet dictis cujuscumque privati Doctoris. Menochius conf. 1196. num. 2. aded ut (juxta Lotterium De Re Benefic. libr. 1. quest. 1. num. 80.) Vix possit excusari à maxima arrogantia Judex, qui in judicando desisteret ab opinione tantorum Patrum, suæ prudentiæ innixus.

DECISIO XVIII. ARGUMENTUM.

Præmissa Impedimentorum Matrimonialium Definitione, Etymologia, ac Divisione in impedientibus tantum; & in dirimentibus; & quòd impedientia statui possunt etiam à singulis Episcopis, & à Principibus Laicis; circa dirimentia ostenditur, eorum inductionem provenire tantum vel à Summo Pontifice, vel à Conciliis Generalibus, vel à Legitima consuetudine; non etiam ab Episcopis, neque à Laica Potestate. Refertur Historia nullitatis Matrimonii Ducis Aureliæ, vulgò d'Orleans, Fratris Ludovici XIII. Regis Galliæ de Anno 1634. tamquam contracti sine consensu ipsius Regis: & circa eandem, ac circa Matrimonia filiorum familias plura notata digna ponuntur ex Caramuelis, ac Tonduri relationibus. Tandem, An consuetudo possit abrogare impedimenta? Et an his detentus peccet contrahendo.

SUMMARIUM.

- 1 Parochis, ac Confessariis necessaria est scientia Impedimentorum Matrimonialium.
2 Impedimentum Matrimonii quid sit?
3 Impedimenti Etymologia.
4 Impedimenta Matrimonii à quo Jure procedant?
5 Impedimenta à Jure naturali provenientia quæ sint?
6 Impedimenta à Jure Ecclesiastico emanantia, quæ?
7 Impedimentorum Matrimonii divisio?
8 Scotus Doctor subtilis quo anno vivebat?
9 Impedimenta Matrimonii tempore Scoti, & eius crimina.
10 Impedimenta eadem hujus temporis, & eorum Versu.
11 Impedimenta impedientia tantum olim duodecim, & quæ?
12 Nunc quatuordecim, & quæ?
13 Episcopi possunt Impedimenta impedientia statuerè.
14 Principes quoque seculares.
15 Decretum Senatus Veneti contra contrahentes Matrimonia absque debitis solemnitatibus, & Proclama Reiorum Paduæ.
16 Impedimenta dirimentia an fieri possunt?
17 An per ea mutetur Materia & Forma, ac Ministri Matrimonii?
18 Concilia Generalia, ac Summus Pontifex constituunt Impedimenta dirimentia.
19 Pontifex an sine iusta causa possit statuerè Impedimentum dirimens? Vel aliquem facere inobabilem ad Matrimonium?
20 Consuetudine an Impedimenta dirimentia possint introduci?
21 Consuetudo inducens Impedimentum dirimens an à Papa approbata esse debeat?

- 22 Episcopi in eorum Diocesi nova Impedimenta dirimentia statuerè non possunt.
23 Episcopi tantam Jurisdictionem habent, quantum est Papa concessit.
24 S. Cong. Cardinalium Declaratio, quòd sint valida Matrimonia contracta coram Parocho invito.
25 Principes Laici an possint statuerè impedimenta dirimentia Matrimonium?
26 Caramuelis relatio de potestate Principum Laicorum circa Impedimenta dirimentia Matrimonium.
27 Caroli Cæsi Regis Franciæ Filia nulliter nupsit sine consensu Patris.
28 Ducis Aureliæ Fratris Regis Gallie Matrimonium nullum. Et cur?
29 Bapaglini Episcopi Nucerni narratio ejusdem Matrimonii.
30 Parliamenti Parisiensis Sententia super nullitate d. Matrimonii Anno 1634.
31 Clerus Gallicanus confirmat nullitatem d. Matrimonii Anno 1635.
32 Tonduri relatio de nullitate Matrimoniorum in Gallia, contra Regiæ ordinationes initorum.
33 Meldæ, vulgò Meaux civitas in Gallia.
34 Filii familias in Gallia nulliter nubunt, parentibus invitati.
35 Consuetudine dirimuntur Matrimonia in Gallia, inita sine consensu Regis, & Parentum.
36 Nullitas Matrimonii Fratris Ludovici XIII. Regis Gallie Anno 1634. iustificatur.
37 Clotarii Regis Gallie tempore erat consuetudo requirendi consensum Regis pro Matrimonii conjugatione eius.
38 Consuetudo prædicta rationabilis demonstratur.
39 Consuetudo an possit abrogare Impedimenta dirimentia.
40 Impedimento detentus, & contrahens an peccet? & an validè contrahat, si credat habere impedimentum dirimens, quòd non habet?

IN præcedentibus actum est de quidditate Matrimonii, atque Sponsalium; nunc differendum venit de impedimentis, in quorum intelligentia, scientia, & cognitione versati esse debent Parochi, atque Confessarii pro bona directione animarum, non solum in contrahendis Matrimonii de futuro; sed etiam in Confessionibus Sacramentalibus pro Matrimonii præteritis, in quibus non raris irreperitur impedimenta etiam dirimentia; & opus est remedio, quòd suggerere Confessarii non valent, si ipsi omnia impedimenta rectè non noverint; idèd in meo oneroso Ministerio, (quòd pro annos quadraginta continuo exercui) sub regimine hujus Episcopatus Patavini nunquam satis laudatorum Antistitem, ac verè Ecclesiasticorum Principum, & vigillum Pastorum GEORGII CORNELII, & GREGORII CARDINALIS BARBADICI examinandi, & approbandi Confessarios; eos præcipue circa impedimenta Matrimonii interrogabam, & instructos esse volebam; aliter isdem mandatum audiendi Confessiones constanter denegabam. Igitur antequam ad explicationem singularum impedimentorum accedamus, de ipsis tria generatim sum videnda.

- Primo: Quid sit Impedimentum Matrimonii?
Secundo: Quot sint Impedimenta; & quomodo dividantur?
Tertio: Quibus competat potestas statuendi Matrimonialia impedimenta?
Quo ad primum: Gobatus in Theolog. Experim. tract. 9. num. 6. ait, quòd Impedimentum Matrimonii est consensio, seu circumstantia, cum qua non licet intrè Matrimonium. Eminentiſſ. Cardin. de Lauræa in 4. Sent. tom. 3. disp. 18. num. 1. dicit quòd nomine impedimenti, respectu Matrimonii, aliud

non est intelligendum, nisi res, actio, formalitas, relatio, vel quid simile, quòd facti, ut Matrimonium sit vel illicitum, & irritum; vel tantum illicitum. Thomas Tamburinus de Matrimon. libr. 8. cap. 1. num. 1. scribit, Impedimentum esse id, quòd obstat, ne Matrimonium aut validè, aut licitè contrahatur. Ex his deduci potest sequens definitio, videlicet: Impedimentum Matrimonii est inhabilitas, illud contrahere volentium, proveniens vel à naturali, vel ab Ecclesiastico Jure; per quam, si de factò contrahant, aliquando illicitè tantum; aliquando illicitè, & invalidè simul contrahunt. Dicitur inhabilitas tamquam genus; & denotat incapacitatem, impotentiam, & defectum facultatis progrediendi ad actum celebrandi contractum Matrimoniale in illis, qui aliquo impedimento juridico detinentur: impedimento enim ita nominatur quasi pedum tenimentum; seu obstaculum, ne quis progredi, seu transire possit, prout vult. Hinc in exercitiis sarcinæ, aliæque involucria vulgò bagaglio, appellantur impedimenta, quia obstant concitato cursui, ac velocitati militum juxta id, quòd de isdem militibus ponit Julius Cæsar lib. 1. Bell. Gall. ibi. Ad impedimenta, & carros suos se contulerunt. Impedimenta autem Matrimonii non sunt quid physicum, quòd detinet contrahentes, sed quid morale, seu legale, obstant, & resistens eorum desiderio, ac voluntati; ad exemplum irregularitatis, que in rebus sacris impedit vel suscipere Ordines, vel susceperos exercere; seu ad similitudinem Legum Civilium, quæ prohibent debitoribus publicarum gravaminum accessum in Consilium Civitatis; vel non insignitis Laurea Doctorali se professores gerere Legum, sive Medicinæ. Dicitur in definitione, quòd prædicta inhabilitas provenit vel à Jure Naturali, vel à Jure Ecclesiastico; quia utrumque Jus est principium, fons, & origo, undè ipsa impedimenta dimanant; siquidem cum de Jure naturæ omnis contractus involuntarius, id est initus sine libera voluntate contrahentium, sit invalidus; ita ex hoc jure naturali procedunt impedimenta, quæ concernunt conjuges contrahentes absque libera voluntate; & talia sunt Error, Vis, Metusque cadens in constantem virum, aut ignorantia personæ, vel ejus conditionis, cum qua aliquis contrahit, putans aliam esse vel in substantia, vel in qualitate ab illa; dicit enim Aristoteles 2. Ethic. cap. 5. Involuntarium esse, quòd vi, vel ignoracione accidit. Item cum jure naturali nulli sint omnes illi contractus, in quibus res, quæ traditur vel non est libera, vel non est apta ad illum contractum, sic ex eodem jure procedunt impedimenta ligaminis, & coire non valentis; nam corpora eorum, qui cum his impedimentis contrahunt, aut non sunt habilia, aut non sunt libera, ut mutantur in Matrimonii contractu; ut plene disserit, ac doctè demonstrat Eminentiſſ. Cardin. de Lauræa d. disp. 13. art. 1. per totum. Similiter ex Jure Ecclesiastico procedunt cætera impedimenta concernentia graduum propinquitatem in triplici cognitione, Naturali, Spirituali, ac Legali; item Affinitatis; prout etiam Voti solemniss castitatis, criminis, cultus disparitatis, raptus Sponsæ, atque clandestinitatis; hæc enim omnia statuta sunt ab Ecclesia ad bonum regimen animarum; & ut fidelescum debita honestate, ac decencia vivant; ad quem effectum inducta sunt etiam impedimenta impedientia tantum, de quibus singillatim in decursu harum Decisionum erit agendum. Tandem dicitur, per quam inhabilitatem, qui contrahunt aliquando illicitè tantum; aliquando illicitè, ac invalidè simul contrahunt; ex quibus verbis sumitur sequens Impedimentorum omnium divisio. Idcirco:

Quo ad secundum: Si quærimus quot sint ipsa impedimenta; & quomodo dividantur? Respondetur, unicum, sed famosam esse Impedimentorum Matrimonii

monii divisionem; videlicet, quod alia sunt impedientia, simulque Matrimonium dirimentia: alia vero, impedientia tantum. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 6. Basilus Pontius eod. tractat. lib. 6. in princ. Gobatus d. tract. 9. num. 6. Maltrius disp. 7. num. 327. Emin. Card. de Lauræa d. disp. 18. art. 1. & 2. novissimè doctissimi Salmanticenses tract. 9. de Matrim. cap. 11. in princ. ita scribentes: Duo sunt genera impedimentorum, quæ Matrimonium prohibent contrahendum; alia sunt dirimentia, quæ non solum illicitum reddunt Matrimonium, sed etiam nullum; & idè sunt contra illius substantiam: alia, quæ solum id illicitum reddunt, non tamen irritant, quia non sunt contra substantiam Matrimonii, sed contra illius debitam solemnitate. Priora dicuntur dirimentia, posteriora impedientia. Antiquitas impedimentia dirimentia erant tantummodo duodecim; unde Fr. Joannes Duns Scotus, subtilissimus Magister nominatus, qui vivebat Anno Christi 1300. ea refert in 4. Sent. dist. 42. sub M. collecta in his verbis, quos in tanti Auctoris, ac antiquitatis obsequium, etsi aliquantulum duras, non me tædet transcribere; videlicet:

Vir, frater persone, servii dationis, & amens, Adita conditio, tria conjugii bona tollens, Frigidus, arida, puer, truncatus, presigatus, Alterius conjugii obstat mutue dationi. Ordo Sacer, Votum, Duo cultus, Sponsio mæchi. Carnalis, Legis, Cognatio Spiritualis.

Hæc vi præcepti: sic huic affinis honestas. Excellentia horum versum non fiat in elegantia; sed in mystica significatione Juris, à quo impedimenta in eis expressa procedunt; siquidem, ut observat Emin. Card. de Lauræa d. disp. 18. num. 20. quatuor primi Versus continent impedimenta, quæ repugnant naturæ contractus Matrimonii; & sic sunt illa, quæ emanant, & constituta sunt à Jure naturali; & illa verba in fine versus quarti, obstat mutue dationi, volunt dicere, quod omnia prædicta impedimenta obstant dationi mutue, per quam fit Matrimonium. Reliqui tres Versus amplectuntur impedimenta, quæ sunt de Jure Ecclesiastico, & ab Ecclesia constituta. Descendit in istis duo alia impedimenta, Raptus scilicet Sponsæ, & clandestinitas per deficientiam Parochi, & duorum saltem testium; quia tempore Scoti non aderant, & fuerunt constituta in Concilio Tridentino, ut dicemus suo loco; unde si quis vellet prædicta crimina perficere, deberet hoc aliud addere:

Si Sponsam rapies, si clandestinus inibis. Cæterum hæc temporibus omnia impedimenta dirimentia, quæ sunt quatuordecim, communis, & facillimè exprimuntur sequentibus verbis, quos ponunt Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 6. numer. 3. Gobatus d. tract. 9. num. 13. Tamburinus de Matrim. tract. 1. cap. 1. num. 4. & passim omnes; videlicet:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen, Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas. Si si Affinis, si foris coire nequibus; Si Parochi, & duplici desit presentia Testis, Raptus sit mulier, nec parti reddita tuæ, Hæc socianda variant connubia, fœda retrahant. Hos eodem Versus, sed cum aliqua mutatione, ac diversitate Vocabulorum, etsi eadem impedimenta significantur, referunt Layman lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. ult. & Gobatus d. tract. 9. num. 15. ibi à curiosis videndus.

Impedimenta autem impedientia tantum de jure antiquo erant duodecim in his carminibus comprehensa.

Ecclesie vetitum, nec non Tempus feriatum, Atque Catechismus, Sponsalia jungit Votum, Incessus, Raptus Sponsatæ, mors mulieris, Susceptus proprie sobolis, Mors Presbyteralis.

Vel si ponitæ solemniter, aut Moniale accipiat; prohibent hæc Connubium sociandum. Accipitur à Tamburino d. lib. 8. de Matrim. tract. 1. cap. 16. num. 1. à Perez eod. tract. disp. 23. sect. 8. & præter alios Moralistas, ac Scholasticos à Gobato d. tract. 9. num. 7. & 8. qui advertunt, eadem impedimenta, per contrarium consuetudinem esse abolita, quatuor exceptis, quæ adhuc vigent, & in hoc carmine restringuntur:

Sacratum tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum. sed nihilominus, ne Studiosus Lector antedictis Verbis videns, & eorum sensum non intelligens, remaneat in tali quasi amara obscuritate; eos cursum hic declarare non me piget. Idcirco Ecclesie Vetitum significat impedimentum impediens, quod provenit à prohibitione, quam ex aliqua justa causa facit Episcopus, seu etiam Parochus alicui, ne audeat Matrimonium pro nunc inire; vel si ille sit excommunicatus. cap. 1. De Matrim. contra Interdict. Eccles. Tamburinus d. cap. 16. num. 3. & ibi Chartarius Decif. 23. Verbum Tempus feriatum innuit tempora tum Adventus, tum Quadragesimæ, in quibus non licet Matrimonium celebrare. Concil. Trid. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 10. Vox Catechismus impediēbat Patrum, qui tenebat puellam ad januam, non etiam ad fontem in baptismo, ne contraheret Matrimonium cum illa, aut cum consanguineis ejusdem. cap. 2. de Cognat. spir. in 6. Nomen Sponsalia indicat eum, qui illa celebravit cum una, non postea nuptias inire cum alia, ut ostendimus supra Decif. XVII. à num. 22.

& seq. Dicitur Votum denotat habentem Votum simplex castitatis, seu vitam cælibem agendi, cui censetur prohibitus Matrimonium; ut in d. Decif. XVII. num. 18. & 19. Vocabulum Incessus ostendit illum, qui carnaliter cognoscebat aliquam consanguineam suam, nam & ille repellebatur à quocumque Matrimonio. cap. 1. & 2. nec non cap. Transmissio. 4. De eo, qui cognovit consanguinem. Verba Raptus Sponsatæ, & Mors mulieris illos comprehendunt, qui vel abduxerunt Sponsam alienam, vel propriam Uxorem necaverunt. cap. Statutum. 27. quest. 2. cap. Interfectores 33. quest. 2. Nomina Susceptus proprie sobolis, atque Mors Presbyteralis signant tum illum, qui levabat de fonte solum suum in fraudem debiti erga Uxorem, tum interfectores iniquos alicujus Sacerdotis, quibus omnibus postea novum contrahere connubium vetitum erat. cap. De eo. 30. quest. 1. cap. 2. De Penitent. & Remission. Ultima verba Vel si ponitæ solemniter; aut Moniale accipiat, representant publicos Penitentes, prout eos, qui aucti essent ducere Moniale in Uxorem; hi enim omnes arcebantur à thoro conjugali, ut in penitentia lamentis, se vehementer, dum vixerint, afficerent, ut ait text. in cap. Hi ergo. 27. quest. 1. & cap. Antiqua 33. quest. 2. & copiosè differit Morinus in Commentar. Hæc. De Sacramento Penitentia lib. 5. tit. 22. in quo à numer. 2. & seq. cumulat plurimos Sacros Canones prohibentes contrahere Matrimonium his, qui aliquo enormi delicto erant affecti; subdens ibid. n. 17. hunc Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem durasse usque ad Annum 1200. postea vero remissius actum esse, itaut in præsens serventur quatuor illa impedimenta tantum, quæ jam explicuimus, nempe Sacratum tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum; ut notat Moraliste, ac Summistæ omnes, præter P. Georgium Gobatum, qui d. tract. 9. Experiment. Theol. num. 9. addit, Constantiæ in Synodalibus Constitutionibus part. 1. tit. 16. num. 41. aliud impedimentum impediens haberi, nempe Hæresim Sponsæ; subdit tamen, quod in locis mixtæ Religionis non solet peti ulla dispensatio circa hoc impedimentum, quando aliqua Acatolica Catholico nubit; & de talium Matrimonii disputat diffusissimè d. tract. 9. à n. 212. & nos dicemus infra ad impedimentum dirimens Disparitatis cultus.

Quo ad Tertium, in quo quaeritur, quibus competat potestas statuendi Matrimonialia impedimenta? Observandum est, quod circa Impedimenta impedientia tantum nullus est, qui neget, esse in Ecclesia potestatem ea præferendi pro bono regimine populi Christiani, & idè non solum Summos Pontifices, ac Concilia Generalia, sed etiam Episcopos, & Concilia Provincialia posse hæc impedimenta statuere, prout ad bonum, & quietem Provinciæ, vel Dioceseum cognoverint expedire, ut scribunt Salmanticenses d. tract. 9. de Matrim. cap. 11. num. 1. ubi in his impedimentis impediētibz tantum extendunt hæc potestatem etiam ad Principes secularis modis, aut formis, scandalum, rixas, vel alia incommoda in pernecium quietis publicæ causantiarum Pastoralium f. m. Eminentissimi, ac Reverendissimi GREGORII CARDINALIS BARBADICCI, olim hujus Diocesis Patavinæ Pastoris & 88. legitur Proclama Excellentissimorum Domini Gritti Potestatis, & Aloysii Georgii Capitanei Paduæ diei 5. Septembris 1676. quia in executione Decreti Serenissimi Principis, ac Senatus Venetiarum die 28. Februarii 1662. emanati, prohibent Matrimonium absque debitis solemnitatibus per Ecclesiam statutis, & præcipue ne ex abrupto contrahentes cum duobus testibus coram Parocho, & sic ad ejus presentiam, & dictorum testium, fraudulenter, violenter, nulliusve denunciationibus præmissis Matrimonium inane, Idcirco, ut supra dictum est, de his impedimentis impediētibz tantum, & quæ faciunt Matrimonium illicitum, sed non invalidum, dubitat nemo, & ac posse decerni ab utroque Superiore Ecclesiastico, & Laico.

At de impedimentis dirimentibus, & Matrimonium annullantibus, videtur difficultas; tum quia si Matrimonium confideretur ut contractus Civilis, debet relinquere sub tota libertate, quæ illi convenit de Jure naturali; tum è magis quia si consideretur ut Sacramentum, nulla humana potestas immutare potest ejus materiam, formam, & ministros, cum hæc omnia sint à Christo Domino instituta, & immutatio videtur fieri quando præfigitur impedimentum dirimens, & irritum reddens Matrimonium, etsi initum cum materia, cum forma & à ministris per Filium Dei in elevatione hujus contractus ad esse Sacramenti determinatis. Huius tamen non obstantibus, certum est in Ecclesia Catholica esse potestatem statuendi etiam impedimenta dirimentia; imò hoc est de fide non solum ex Concilio Senonensi sub Clemente VII. de quo in tom. 5. Concilior. cap. 17. sed etiam ex Concilio Tridentino sess. 24. de Matrim. can. 4. in quo ita definitum: Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse instituire impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in his constitutis errasse; Anathema sit. Hoc idem tradiderunt ante prædictorum Conciliorum plura sæcula Scotus in 4. Sent. disp. 4. 1. & N. & Sanctus Thomas in 4. disp. 34. art. 1. ad 4. & in addit. 3. p. qu. 50. art. unic. prout etiam lib. 4. contra Gentes cap. 78. & consentiunt omnes Theologi, ac Canonistæ, quos longa serie allegat Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 4. per totam. quibus concordant inter novissimos Salmanticenses d. tr. 9. cap. 11. dub. 1. Basilus Pontius lib. 6. cap. 1. num. 8. Maurus di. disp. 7. num. 329. atque Eminentiss. Cardin. de Lauræa disp. 18. art. 3. Respondent autem omnes rationibus in contrarium adductis; videlicet, ad primam, quod licet Matrimonium sit de Jure naturæ tamquam contractus, potest restringi ad certas condiciones, & qualitates contrahentium, ut honestè, & sine fraude celebretur, prout in cæteris contractibus civilibus præscribuntur formalitates,

sine quibus remanent invalidi, & irriti. Ad Secundam, sumpto etiam Matrimonio, prout est, tamquam Sacramento, Ecclesia per instituta impedimenta dirimentia non immutat Materiam, Formamve, aut Ministros Sacramenti à Christo præscriptos; quia Christus elevando Matrimonium contractum ad esse Sacramenti statuit pro Materia, & Forma contractum legitimum, ac pro Ministris personas legitimæ; condiciones autem, qualitates, formalitates, & alia requisita pro legitimitate contractus, atque contrahentium Matrimonium, non fuerunt ab ipso Christo Domino præscriptæ; sed illas præscribens reliquit potestatem Ecclesie suæ, juxta temporum, locorum, nationum, & morum hominum circumstantias. Quapropter Matrimonia inita cum impedimentis dirimentibus sunt nulla, & invalida, non ex mutatione Materie, Formæ, ac Ministrorum à Christo institutorum, sed quia Materia, ac Forma non est legitima; sive quia Ministri non sunt legitimi, prout requirit institutio Christi, à quo non omnis contractus Matrimonialis factus est Materia, & Forma Sacramenti Matrimonii; neque omnis Masculus, & Femina instituti sunt Ministri ejusdem Sacramenti; sed tantummodo contractus, ac contrahentes legitimi, ut latè differunt Salmanticenses d. cap. 11. à num. 4. & seqq. Basilus Pontius d. lib. 6. cap. 1. num. 10. 11. & 12. Maurus di. disp. 7. n. 330. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa di. disp. 18. num. 41.

Porro appellatio Ecclesie habentis potestatem instituendi impedimenta dirimentia Matrimonium venire Ecclesiam Universalem, idest Concilia Ge-neralia, ac ejusdem Ecclesie Universalis caput, nempe Summum Pontificem omnes scribentes concedunt; quia ab initio ipsius Ecclesie per omnia subsequenti sæcula tum à Conciliis Generalibus, tum à Summis Pontificibus usque ad tempus Tridentini Concilii dirimentia impedimenta fuerant statuta, tam circa gradus consanguinitatis, affinitatis, ac publicæ honestatis, quam circa clandestinitatem, Votum solenne castitatis, Ordinem Sacrum, & alia, prout exemplificat Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 18. art. 4. à num. 48. & notat Salmanticenses d. cap. 11. num. 7. Pontius d. lib. 6. cap. 1. numer. 12. & aliis relictis, Sanchez d. lib. 7. disp. 1. in qua num. 6. advertit, requiri justam causam, ut per Pontificem statuat novum impedimentum dirimens; & num. 7. plurimos DD. allegat docentes, posse alicui privato prohibere, ex causa justa (puta magnæ disparitatis) ne contrahat Matrimonium sub pœna nullitatis; quod etiam affirmat Maurus di. disp. 7. num. 322. & 323. etsi nunquam auditum sit, Pontifices hanc prohibitionem fecisse, & eam facere non expedire scribat Navarrus lib. 4. consilior. tit. de Sponsalib. in 1. edit. cons. 24. At in 2. edit. tit. de Matrim. contract. contra interdict. Eccl. cons. 1. Idcirco iidem Doctores circa hæc potestatem statuendi, & inducendi impedimenta dirimentia de tribus tantum dubitant, & questionem faciunt, videlicet de Consuetudine, de Episcopis, atque de Principibus Laicis, & de his nunc est agendum.

Quo ad Consuetudinem, etsi Sanchez di. lib. 7. disp. 4. à n. 5. & seqq. multas excitet difficultates, ac diversos modos dicendi Doctorem, quos ibi cumulat; ipse tamen num. 11. sic suam opinionem firmat. Existimo, consuetudinem legitime præscriptam, ac rationi consonam (qualis petitur cap. fin. De Consuetud. ad Legem statuendam, & statutam derogandam) vires habere inducendi novum impedimentum dirimens, ac subinde Matrimonium, adversus eam consuetudinem initum, esse nullum; idque solum consuetudinem posse absque scandalo, & adminiculo alterius Juris; nec ad eam inducendam desiderari scientiam Pontificis; sed eo ignorante, posse solum consuetudinem.

suetudinem legitime prescribi, suamque operari effectu; ammodo sit consuetudo mixta Clericorum, & Laicorum. Hanc Sanchezianam sententiam approbant, & amplectuntur omnes Theologi Scholastici, atque Morales, inter quos Basilius Pontius lib. 6. cap. 4. num. 6. N. Cornejo disp. 7. dub. 4. Suarez de Legibus lib. 7. cap. 19. numer. 14. Castropalaus eod. tract. disp. 3. punct. 1. num. 7. Aversa quest. 9. sect. 3. Vers. Deinde, ubi adducit text. in cap. 1. De cognat. Spirit. in capit. Super eo. eod. tit. & in cap. Quod dilectum. de Coniugiu. in quibus precipitur nulla, & irrita habenda esse Matrimonia inita contra impedimentum dirimens a consuetudine introductum. Concors est supradictis DD. etiam Matrus d. disput. 7. numer. 335. ubi tamen rejicit tamquam inutilia verba illa Sanchezii, quod consuetudo mixta introducta sit Clericis, atque Laicis; cum Clerici Matrimonia non contrahant, atque Studiosissimi Salmanticenses d. tr. 9. de Matrim. cap. 11. punct. 1. ubi num. 23. ita loquuntur: Dicendum itaque est, quod si consuetudo sit rationabilis, & legitime prescripta, tuncque a Summo Pontifice approbata, per eam possunt nova impedimenta dirimentia introduci, seuque inhabiles ad contrahendum, qui aliter erant habiles iure Canonico. Probatur in primis ratione generali, quia consuetudo legitime prescripta habet vim Legis cap. fin. de Consuetud. & tradit. D. Thomas 1. 2. q. 97. art. 3. Sed per leges possunt introduci impedimenta dirimentia, quibus sunt inhabiles, qui aliter erant habiles ad contrahendum. Ergo & per consuetudinem. Et idem in cap. Cum olim. De Cleric. consue. dicitur, consuetudine fieri inhabiles ad beneficium, qui aliter erant habiles. Ergo etiam ad Matrimonium. Specialiter vero pro Matrimonio in cap. 1. De Cognat. Spirit. ubi dicitur valere Matrimonium inter duorum comparum filios, nisi consuetudo Ecclesie, que scandalum generet, aliter se habere noscatur. Hucusque Salmanticenses, qui num. 23. subdunt, ea verba, que scandalum generet, a pluribus DD. declarari, de consuetudine, cuius violatio scandalum generet. Covarruvias in 4. Decret. 2. p. cap. 6. s. 1. num. 8. Henriquez lib. 12. cap. 1. num. 3. Angelus Verb. Matrimonio 3. Impeditum. 17. Sed ipsi Salmanticenses repetunt dicentes: Sed etiam scandalum ex violatione consuetudinis non generatur, si tamen fuerit legitime introducta sufficit ad statuenda nova impedimenta dirimentia. Confirmantur omnium supradictorum DD. sententia communi omnium Theologorum doctrina, quod impedimentum dirimens Disparitatis Cultus sola consuetudine est introductum in Ecclesia. Sanchez lib. 7. disp. 71. num. 8. Gobat tract. 9. num. 214. Matrus disp. 7. numer. 504. Eminentiss. Cardin. de Lauraa disp. 32. num. 39. & nos infra Decif. XXVI. Porro Fagnanus in d. cap. 1. De Cognat. Spirit. num. 18. & in cap. Quod super. in fin. De Coniugiu. & Affinit. opinatur, non sufficere, si consuetudo sit prescripta, nisi etiam sit a Summo Pontifice approbata, & de ea certam habeat scientiam; quamvis Aversa de Matrim. d. quest. 9. sect. 3. Vers. Hoc autem limitant &c. teneat, quod non requiratur expressa, & formalis approbatio ejusdem consuetudinis a Pontifice facta, sed sufficiat tacita, & virtualis; & idem affirmant contra Fagnanum Gobatus d. tractat. 9. de Matrim. num. 25. & Basilius Pontius d. lib. 6. cap. 4. num. 6.

Quo ad Episcopos, pariter disputant DD. an ipsi habeant in suis Diocesisbus potestatem statuendi nova impedimenta dirimentia, sicut habet Summus Pontifex in tota Ecclesia? Et omnes concorditer respondent, eos de facto illam non habere, quia talis potestas soli Summo Pontifici semper fuit, & est reservata; unde non injunctus est casus, quem refert Gobatus d. tract. 9. numer. 19. cuiusdam Præfatis præservidi, qui ad extirpandum abusum in sua

Diocesi familiarem eorum, qui sub prætextu infirmitatis, vel alio simili, Parochum ad se vocabant, illoque presente, ac duobus testibus Matrimonia repente contrahabant, antequam Parochus effugere posset; decrevit, & sancivit, ut Matrimonia, si que deinceps hoc modo fierent, invalida, nulla, & irrita essent. Quosdam fuit postea, an tale Decretum, & huiusmodi sanctio Episcopalis haberet vim irritandi Matrimonia inita coram Parocho invito, ac reluctantante? Et negativè respondit Eminentiss. Cardin. de Lugo lib. 1. Respons. Moral. dub. 45. quem refert, & approbat ipse Gobatus d. tract. 9. num. 20. reddens hanc rationem, quia hoc gravissimum negotium, & ex quo gravissima inconvenientia sequuntur, merito reservavit sibi uni Summus Pontifex: & ita docent omnes scribentes. Sanchez d. lib. 7. disp. 1. num. 9. & ibi Victoria, Ledesma, & alii plurimi ex antiquis, ex modernis autem Matrus d. disp. 7. num. 337. Eminentiss. Cardin. de Lauraa d. disp. 18. art. 4. num. 62. & Salmanticenses d. tract. 9. de Matrim. cap. 11. num. 7. atque num. 9. ubi addunt, quæere DD. etsi Episcopi de facto non habeant hanc potestatem statuendi nova impedimenta dirimentia, an faltem eam habeant de Jure, ac vi ordinationis Episcopalis? & quamvis alii asserant, & alii negent; negativam sententiam amplectuntur ipsi Salmanticenses ibid. num. 9. & iure quidem, nam ut probatum est a nobis in nostris Decisionibus de Sacram. Penitentia Decif. XIX. num. 26. Episcopi nullam aliam habent Jurisdictionem (que necessaria est ad Leges ferendas) nisi illam, quam ipsis elargitur Papa, quem Christus constituit Monarcham, Principem, & Caput totius Ecclesie; ideoque sicut a capite derivat omnis Virtus in membra; sic a Summo Pontifice Romano procedit omnis iurisdicctio in alios Episcopos, ut latè demonstrat Fagnanus in cap. Perisotismam a num. 28. usque ad numer. 54. de Offic. Ordin. Pax Jordanus tom. 7. Prælat. 3. numer. 12. & 13. Barbosa de Jure Eccles. Univ. lib. 1. cap. 8. num. 19. Emmanuel à Schelstrate tom. 2. Antiqu. Eccles. Dissert. 4. cap. 3. & Eminentiss. Cardin. de Lauraa de Sacramento Penitentia disp. 18. art. 8. à n. 335. & seqq. Quapropter, cum nullibi legatur concessum per Summos Pontifices aliis Episcopis, ut possint in suis Diocesisbus impedimenta dirimentia Matrimonium statuere; verior debet esse sententia docens, eosdem Episcopos prædictam potestatem non habere, neque de Jure, neque de facto. Hinc contra tenorem Decreti, ac Edicti illius Præfatis præservidi à Gobato relati, Sacra Congregatio Emin. Cardinalium S. Conc. Trid. Interpretum pluries declaravit, valida esse Matrimonia de repente contracta coram Parocho invito, ac reluctantante; ut habetur apud Salcedum in Addit. ad Diaz cap. 76. & ex Pignatello notat Abbas Pasqucius tom. 2. Verb. Matrimonium pag. 23. in Compendio ejusdem Pignatelli.

Quoad Principes Christianos Licos omnium Catholicorum scribentium concors doctrina est, quod licet in Matrimonio tamquam civili contractu possent decernere impedimenta etiam dirimentia pro bono regimine suorum populorum; atamen quia Matrimonium est à Christo Domino elevatum ad dignitatem Sacramenti; & sic quia tamquam Sacramentum subtrahum est à Laica Jurisdictione, idcirco Principes Laici non habent potestatem indidendi impedimenta dirimentia, nisi in Matrimoniis infidelium, si quos subditos habeant, quorum conjugia non sunt Sacramenta; sed simplices contractus; & hæc doctrina probatur: Præmo ex cap. 1. de Sponsal. in quo decernitur, validum esse Matrimonium contractum cum alienigena, etiam si celebratum sit contra leges civiles sue gentis. Secundo, ex capit. Tuam De Ordine cognit. in quo statuitur, causas Matrimoniales non ad forum Laicum, sed ad Ecclesiasticum

stium pertinere. Tertio, ex Concilio Tridentino, in quo sess. 24. can. 12. definitum est idem his verbis: Si qui dixerit causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, Anathema sit. Quarto, quia Ecclesia ob dictam Sacramentalem excellentiam subtrahit Matrimonia fidelium à potestate Laica; & sibi, siveque Ecclesiastica Jurisdictioni reservavit. cap. Ecclesie S. Marie. De Constit. d. capit. 1. de Sponsal. d. cap. Tuam. De Ordin. cognit. capit. Euphemium. 2. qu. 3. cap. Multorum. 35. q. 3. Quinto, quia à Jure Canonico sæpe correctum est Jus Civile in tangentibus fidelium Matrimonia, prout in cap. Cum secundum Apostolum. De Secundis nuptiis. in quo abrogatur Lex Civilis, que imponebat penam infamiae Viduis mulieribus ad secundas Nuptias pervenientibus; & in cap. fin. de Raptor. Virgin. que prorsus emendatur I. Unica. de Raptor. Virgin. que prorsus incipit Matrimonia faciebant raptorem cum Virginibus raptis. Alios text. addit Caramuel in Theologia Mor. Fundam. num. 2081. nempe cap. 1. in fin. De Coniugiu. & Affin. cap. 12. De Excessib. Prælat. & capit. 4. & 5. De Secunda. Nupt. Et Sexto, quia talis est usus Universalis, & immemorabilis Ecclesie Catholice, ut impedimenta dirimentia Matrimonia fidelium non constituantur à principibus Laicis; sed ab Ecclesia ipsa, ac ejus Capite, qui est Romanus Pontifex; quare ita sentiunt, ac docent S. Thom. in 4. dist. 42. q. 2. ad 4. nec non in addit. 3. p. qu. 57. art. 2. ad 4. Divus Bonaventura in 4. ead. dist. 42. quest. 2. art. 2. Paludan. ibid. qu. 2. art. 2. concl. 6. Sotus ibid. art. 2. ad 2. Covarruvias 4. Decretal. 2. part. cap. 6. s. 1. Castropalaus de Matrim. disput. 4. punct. 1. Basilius Pontius lib. 6. cap. 1. num. 8. & 9. & cap. 2. per totum. Aversa quest. 9. sect. 2. Vers. Videndum ergo. Novissimè Matrus d. disp. 7. de Matrim. num. 342. & alii omnes. Pater Diana part. 5. tr. 1. resol. 16. plenius, ac diffusius p. 7. tract. 1. resol. 23. resol. 24. & resol. 25. Quæ quidem omnes resolutiones nunc sunt repositæ in Diana Coordinato tom. 9. tract. 2. resol. 340. 341. 342. & 343. in quibus fervide tuetur hanc doctrinam contra quemdam Patrem Rabarum illum impugnantem; & ad eum convincendum fortissimè argumenta, & innumeros Doctores, Theologos, atque Canonistas allegat, tenentes, ac scribentes, non posse à Principibus Laicis impedimenta dirimentia Matrimonia fidelium statui, aut introduci.

Sed præmissis graviter obstat videtur id, quod scribit Caramuel in Theologia Morali Fundamentali num. 1120. his verbis: Possè Principes ponere impedimenta dirimentia Matrimonium, tunc nonnulli Galli, quorum multos libellos legimus, cum ante paucos annos de valore Matrimonii Fratris Regis Gallicie agebatur. Possè Reges suos subditos declarare inhabiles ad Matrimonium contrahendum, si cause succurrentes possulent, dicebant rationi consentaneum esse, & prescripte consuetudini correspondere. Ratio erat, quia Matrimonium est contractus, & contractuum valor pendet à voluntate Regum. Probabant prescriptam consuetudinem, quia Filius Regis Caroli Calvi nuptis invito Rege, & Matrimonium fuit declaratum invalidum in Tribunali Ecclesiastico, pronunciantem non potuisse illam valide nubere sine licentia Regis. Idem etiam accidit in Matrimonio Filii ejusdem Regis Caroli.

Controvertitur super valore Matrimonii Fratris Regis Gallia, quem exortam fuisse suo tempore ait Caramuel, fuit Anno 1634. eod. quia Dux Aurelia, vulgò d'Orleans Frater Regis Francie Ludovici XIII. duxerat in Uxorem Principissam Margheritam de Lorena sine licentia, & sine consensu ejusdem Regis, qui propterea instabat prædictum Matrimonium declarari ex hac causa irritum, & nullum; ut elegantè narrat Illustrissimus, ac Reverendissimus Mar-

cus Baptaglinus Nucernus Episcopus in tom. 2. Annalium Sacerdotii, & Imperii ad dict. Annum 1634. num. 3. ubi ita differit: Rursus inestibile il Re nel volere dichiarar nullo il Matrimonio, eb' avra contratto il Duca d'Orleans suo Fratello con la Principessa Margherita di Lorena. Et paulo infra, Allegavasi per parte del Re, che voleva la nullità, essere Legge fondamentale del Regno, che i Principi del Sangue Reale, come capaci di succedere alla Corona, & di suscitare sedizioni in perturbamento della quiete pubblica, non potessero conquistare adevenze de' Parenti, mediante il Matrimonio, senza la licenza del Re; & che essendo quello dell' Orleans difettoso di tale permissione, anzi contratto con Nemici della Corona, & per manifesto somento delle ribellioni, non poteva di ragione avere suffizienz. His attentis rationibus Parliamentum Parisiorum eodem Anno 1634. die 5. Septembris sententiavit, ac declaravit prædictum Matrimonium nullum, ut subdunt ipsam Annalia ibid. sub num. 5. his verbis: 'Introdotta la causa nel Senato, & Parlamento di Parigi, questi entro il mese di Settembre pronunciaro il quinto giorno la propria Sentenza, con la quale restò dichiarato nullo detto Matrimonio, come contratto adolamente contra le Leggi del Regno; dichiarando rei di gravi pene, & la suddetta Sposa, ed ogni Consigliere, & mezzano, ch'avesse cooperato al di lui stabilimento. Et quod magis est, eadem Sententia confirmata fuit ab Univerſo Clero Gallicano, subſequenti Anno 1635. Parisiis de more congregato, ita instante, (coram illo) Procuratore, seu Fiscali Regio, ut memorant eadem Annalia Sacerdot. & Imper. Anno 1635. num. 22. & 23. sic loquentia: Furono da' Vescovi chiamati a consulta i Dottori della Sorbona, i Teologi Domenicani, & Agostiniani, li Carmelitani, Francescani, Fogliantini, Minimi, Preti dell' Oratorio, & sino i Gesuiti, & Capuccini; col parere de' quali fu il settimo giorno di Luglio, per Decreto di cinque Arcivescovi, ventitre Vescovi, & molti Abbati, stabilito che i Matrimonia contratti da' Prencipi del Sangue Regio di Francia, che possono aspirare alla successione della Corona, & particolarmente di quelli, che vi sono più prossimi, come eredi presuntivi, fossero nulli senza il consentimento del Rè Regnante, in vigore della Consuetudine, & Privilegi della Chiesa Gallicana.

Ultra prædicta ad augendam propositam objectionem, circa potestatem Principis Laici in statuendis impedimentis Matrimonium dirimentium, addere liceat id, quod testatur celeberrimus Doctor, & Beneficialista Franciscus Tondut Quest. & Resol. benefic. part. 1. cap. 71. à n. 4. & seqq. videlicet, ex Ordinationibus Regis in Gallia Matrimonia declarari nulla, si fiant nullis præmissis denunciationibus; vel si Filiifamilias minores augeant 30. contrahant Matrimonium absque consensu paterno, Verba Tonduti num. 6. 7. & 8. sunt ista: In casu proposito nulle aderant denunciations ex parte viri, nec ex parte uxoris; & per consequens juxta Supremarum Curiarum Arvesia, & generalem Gallie observationem, Matrimonium illud nullum, & irritum declarandum erat teste Carond. lib. 1. resp. 12. Ludovic. Bell. d. conf. 224. num. 10. Lovet d. litt. M. n. 6. in gloss. colum. 2. qui affirmat solemnitatem istam denunciationum, seu publicationum esse apud Gallos conditionem necessariam, sine qua Matrimonium subsistere non potest, sed inter majores, sed inter minores, non solum ex necessitate præcepti, sed etiam ex necessitate Sacramenti. Maynard. lib. 4. cap. 5. num. 4. Bouchel in Summ. Benefic. in Verb. Marriage in princ. Quod ego, nec multa alia Concilia minus conformia non propono decisiva, quia me remitto determinationi Sanctæ Matris Ecclesie; sed refero dumtaxat, quod in Gallia ex Regis ordinationibus, aut alias solet observari. Alio etiam ex capite Matrimonium, de quo agitur, nullum declarabitur in Gallia, quia contra-

Etum fuit à filiofamilias absque consensu paterno, imò contra illius expressam voluntatem: qua de causa Matrimonium in Gallia nulla declarantur, & irrita; bene, aut male non decido; sed de hoc adsumt expressè ordinationes antiquæ, & recentis; quibus Matrimonium sine consensu parentum contracta declarantur invalida. Hæc omnia Tondut.

Respondet Caramuel ubi supra num. 1120. consensum paternum desiderari pro validitate Matrimoniorum, quæ filiofamilias volunt contrahere; non ex solo præcepto Regis, sed ex jure Ecclesiastico emanato in Concilio Meldensi (sic dictum à Meldæ Civitate, vulgò Meaux, in qua fuit congregatum in 33 Gallia Lugdunensi, cuius Episcopus est suffraganeus Archiepiscopi Parisiensis, teste Ferrario in Lexic. Geographic. Verb. Meldæ) undè idem Caramuel subdit: Nec me urgeat auctoritas, nam Matrimonium Filii Caroli Calvi, aut etiam Filii declaratum fuit ab Ecclesia invalidum, & nullum; non quòd factum fuisset contra voluntatem Regis; sed quòd fuisset contra voluntatem parentis: nam in Concilio Meldensi, ut Filii sub disciplina Parentum manerentur, sub pœna nullitatis præcipitur, ut Matrimonium non incant sine conscientia, & consensu Parentum. Filii igitur Regis Caroli Calvi invalidè nupti, non propter impedimentum latum à Lege seculari; sed latum à Legge Ecclesiastica: non quòd ad valorem Matrimonii consensus Regis requireretur; sed quia requirebatur consensus Patris; quomòdum si Carolus Calvus non esset Rex, eodem omnimò modo illud Matrimonium fuisset invalidum. Hæc omnia acutissimus Caramuel.

Ceterum facile est demonstrare supradictas Historias, ac declarationes nullitatum Matrimoniorum ob defectum consensus Regis in Nuptiis initis eo inficio, vel reluctantia, à natis Sanguine Regio, non esse contrarias Catholicæ doctrinæ, & sensui universalis Ecclesiæ, si dixerimus, eas processisse, ac procedere vigore immemorabilis consuetudinis, quæ viget in Gallia, & à qua est introductum, ut deficientia consensus Regis, dum ejus consanguinei sunt Matrimonium contracturi; vel parentum, si filiofamilias velint Uxores ducere, sit impedimentum dirimens, ex quo resultant ipsæmet Matrimoniorum nullitates. Jam probatum est supra num. 20. omnes Theologos, ac Canonistas concedere hanc potestatem Consuetudini ex iusta causa introductæ, ac legitime præscriptæ, & à Summo Pontifice saltem tacite approbatæ, statuenti scilicet impedimenta Matrimonium dirimentia. Potuit itaque Anno 1634. & 1635. declarari nullum, & invalidum Matrimonium Ducis Aureliæ, Fratris Ludovici XIII. Regis Franciæ, tamquam contractum sine consensu Regio, vigore ejusdem Consuetudinis innixæ tum præscriptioni, tum rationi. Præscriptio est notoria, quia si hæc in rebus Ecclesiæ requirit spatium annorum quadraginta. cap. De quarta. cap. Ad Aures. De Præscriptionib. Salmanticenses d. tr. 9. cap. 11. num. 24. ubi hoc tempus, ajunt, sufficere pro statuentis impedimentis dirimentibus; utique consuetudo requirendi, & obtinendi consensus Regis in consanguineis ejus in Gallia, non solum erat 40. Annorum, sed Annorum octingentorum; quia ex Spondano, & aliis Historicis Carolus Calvus Rex Galliæ regnabat Anno 840. & sic Annis octingentis ante Regem Ludovicum XIII. Imò supra mille Annos extare consuetudinem in Gallia, ut consanguinei illius Regis non nubant absque ejus assensu, deducit ex exemplo Licinii, Regio Sanguine Clotarii Regis (qui regnabat in Gallia Anno Christi 527.) descendens, 37 quem Matrimonium contraxisset, requisito prius, ac obento ejusdem Regis Clotarii consensu notant Bollandus in Vita ejusdem Licinii die 14. Februarii, & Hieron. à Basilica Petri Metamorph. Sacr. part. 1. corv. 5. quos retuli supra in præcedenti Decif. XVII. numer. 33. Igitur de immemorabili

illa Gallicana consuetudine ambigere nemo potest.

De Ratione autem, videlicet, quod sit rationabilis manifestè patet, tum in natis de Sanguine Regio, adstrictis ad non contrahendum Matrimonium absque consensu Regis sub pœna nullitatis, ne perturbent publicam quietem, promovendo rebellionem ex somento exterorum Principum, quibus se affines faciunt, contrahentes Matrimonium sine assensu Regis; tum in filiofamilias, ut sub disciplina Parentum manerentur, ac Filii Caroli Calvi, Regis Franciæ de Anno 840. utque illud Ducis Aureliæ Fratris Regis Ludovici XIII. de Anno 1634. nulla, & invalida fuerint declarata ex defectu consensus Regii, quem Consuetudo rationi consona, & legitime præscripta ab immemorabili tempore decrevit esse impedimentum dirimens in illo Regno; & ideoque Sapientissimi Præfules Cleri Gallicani, qui prædictam declarationem fecerunt Anno 1635. adjuverunt, se ita sentire, ac declarare vigore Consuetudinis.

Colligitur ex his omnibus, quod incidere impedimenta dirimentia Matrimonium spectat tum ad Summum Pontificem, tamquam caput Ecclesiæ, tum ad Ecclesiam ipsam universalem, quæ in Conciliis Generalibus recognoscitur; tum etiam ad Consuetudinem ex rationabili causa inductam, ac legitime præscriptam, & ab eodem Summo Pontifice approbatam; secus autem ad Reges, seu Principes Laicos, ut rationibus, juriis, ac innumeris propè allegatis Doctoribus demonstrat Diana Coordinatus inquit. tom. 9. traç. 2. resol. 340. cum tribus aliis resolutionibus sequentibus; & antecedent. eod. tom. 9. traç. 2. resol. 222. quæ habetur in Diana inordinato part. 3. traç. 1. resol. 16. in quibus omnibus resolutionibus ab eo formatis occasione nullitatis Matrimonii antedicti Ducis Aureliæ, vulgò de Orleans, Fratris Ludovici XIII. Regis Galliæ Anno 1634. & 1635. doctè, eruditè, ac nervosè probat, Reges, ac Principes Laicos non posse statuire impedimenta dirimentia Matrimonium, sed non tetigit punctum controversiæ; quia Matrimonium Ducis Aureliæ Fratris Regis fuit declaratum nullum, & irritum ex defectu consensus Regis vigore immemorabilis, rationabilis, ac legitime Consuetudinis, quæ firmaverat pro impedimento dirimente deficientiam prædicti consensus Regii; sicut pro Matrimonii filiorum familias firmavit, & statuit esse impedimentum dirimens defectum consensus Paterni, ut ex Tonduto super num. 32.

Corollarii loco addendum, disputare DD. an sicut Consuetudo potest inducere impedimenta dirimentia; ita habeat vim tollendi, & abrogandi ea, quæ à Jure Ecclesiastico sunt introducta? Alii negant, alii affirmant, qui, super hoc quæsto allegantur à Salmanticensibus d. traç. 9. cap. 11. punct. 2. Ipsi amplectuntur affirmativam, quia consuetudo legitima abrogat legem contrariam scriptam. cap. fin. de Consuetud. & ita sentiunt etiam Sanchez lib. 7. disp. 4. num. 4. Azorius lib. 1. cap. 17. quæst. 8. Bonacina de Matrim. q. 3. punct. 1. num. 7. Pontius lib. 6. cap. 4. num. 6. & alii apud eisdem Salmanticenses, qui cæteris studiosius agunt de efficacia consuetudinis in ducendis, & abrogandis impedimentis dirimentibus. Exemplum habetur infra Decif. XXVI. num. 19. ex Basilio Pontio afferente, Consuetudinem abrogasse impedimentum dirimens disparis Religionis inter Catholicum, & hæreticum.

Tandem non est ignorandum, omnes Doctores asserere, esse peccatum mortale contrahere Matrimonium scienter cum impedimento non solum dirimente, sed etiam impediendo tantum. Perez de Matrim. disp. 22. sect. 2. & 3. Coromus lib. 3. Contr. 1. trum. 288. imò addunt committi Sacrilgium; sed Gobatus

Gobatus traç. 9. n. 59. & 60. excusat à Sacriligio contrahentem cum dirimente, quia hic nullum suscipit Sacramentum. Quod si qui contrahant Matrimonium putantes inter se esse impedimentum dirimens, quod tamen re vera non sit; Utrum validum sit Matrimonium? Alii asserunt, alii negant; ut ostendit Maffrius in 4. sent. d. disp. 7. num. 372. qui numer. 373. opinionis inter se pugnantis conciliat dicens, quod si contrahentes intendunt facere id, quod possunt, validè contrahunt; invalidè autem, si credentes adeffe certum impedimentum dirimens, non intendunt contrahere, sed simulatè actionem illam gerere.

DECISIO XIX.

ARGUMENTUM.

Explicatur primum Impedimentum dirimens, quod vocatur ERROR, data ejus divisione, quòd fit vel circa substantiam Personæ, vel circa Qualitatem. Error circa Personam dirimit Matrimonium, ut de Lia ducta pro Rachele à Patriarcha Jacob. Sub nomine ERRORIS ostenditur venire Stultitiam, & inter stultos connumerari nimirum Amantes, ac Ebrios, quorum Matrimonia quando nulla sunt, demonstratur. Idemque docetur de Impuberibus. De ERRORE qualitatis personæ, & quando irritet conjugium? per varias Regulas, & Exempla à DD. sumpta, plenè, ac doctè differitur.

SUMMARIUM.

- 1 Ignorantia differt ab errore. Et quomodo?
- 2 Error in Matrimonio alius personæ, & alius qualitatis.
- 3 Error circa personam irritat Matrimonium.
- 4 Consensus humani epitheta, laudes, ac energia.
- 5 Consensus defectus non suppletur per Clausulam supplettes &c.
- 6 Lia, ac Jacob Matrimonium an fuerit validum? & num. 11.
- 7 Benedictio data ab Isaac per errorem an fuerit valida? & num. 13.
- 8 Sacramento data alicui cum errore persona an valida sint? & n. 14.
- 9 Vendens rem Joanni credens esse Petrum, an valeat venditio? & num. 16.
- 10 Consensus defectus, ubi est error in persona.
- 11 Lia, & Rachel vite ætatis, ac contemplative symbolum.
- 12 Ministri Sacramentorum semper intendunt ea dare persone presenti, illa suscipienti.
- 13 Vendere rem unam pro alia irritat contractum.
- 14 Amentia, & defectus ætatis irritant Matrimonium.
- 15 Fatui, seu Amotes, & Stulti an possunt contrahere Matrimonium?
- 16 Amor speciei stultitiae.
- 17 Amoris passio quam corporis partem afficiat?
- 18 Amor nimis vertitur in furorem.
- 19 Amoris nimii estro contractum conjugium an valeat?
- 20 Ebricitas an irritet Matrimonium in ea contractum?
- 21 Impuberes an possunt contrahere Matrimonium de presenti?
- 22 Dispensare an possit Papa, vel Episcopus, ut impuberes contrahant Matrimonium de presenti?
- 23 Error qualitatis personæ non irritat Matrimonium, nisi redundet in substantiam personæ.
- 24 DD. discordant circa errorem qualitatis irritantem, De Sacram. Matrim.

28 Qualitas deducta sub conditione, si deficit, irritat Matrimonium.

29 Regula pro cognoscenda qualitate dirimente.

30 Bisi doctrina circa cognoscendam qualitatem dirimentem.

31 Caramuel Casus relatus de Qualitatis errore dirimente.

32 Qualitas, quæ est unicum Medium ad faciendum Matrimonium, irritat, si deficit.

33 Forum Fori difficile in sententiando pro nullitate Matrimonii ob errorem in qualitate; & cur?

Post explicationem eorum, quæ generaliter ad impedimentorum Matrimonialium naturam spectant, opus est ad particularem declarationem uniuscujusque Impedimenti descendere; quorum primum est illud, quod vocatur ERROR, & circa istud, notare oportet secundum Maffrium in 4. sent. disp. 7. num. 386. aliud esse Errorem, & aliud esse Ignorantiam. Ignorantia dicit tantummodò negationem scientiæ, quæ dici solet ignorantia simplicis negotiorum. Error autem dicitur perversum intellectus, & vocatur ignorantia pravæ dispositionis; uterque tamen sufficit ad causandum actum involuntarium, ut ait ibidem Maffrius, quia voluntas non fertur in incognitum. Item advertendum venit, quod ab omnibus Theologis, circa hoc impedimentum, assignantur duæ species Erroris, una dicitur Error personæ; alia verò Error qualitatis. Ille dicitur Error personæ, qui concernit substantiam, & individuum personam, cum qua Matrimonium contrahitur; ut cum quis intendit contrahere cum una certa, & in mente sua determinata muliere; & tamen per errorem, aut per alicujus dolum, vel fraudem, contrahit cum alia; juxta Exemplum Patriarchæ Jacob, qui intendens ducere in uxorem Rachelem, sibi ab ejus Labano patre promissam, & deponatam; transacta prima nocte Nuptiarum, reperit ab eodem Labano Liam fororem Rachelis fuisse fraudolenter in lecto positam, cum qua per errorem concubuerat, ut legitur in Genesi cap. 29. Error qualitatis est ille, qui concernit non individuum personam, cum qua contrahitur, sed ipsius qualitates, puta si quis putet ducere in uxorem mulierem, quam credit esse nobilem, vel divitem, vel Virginem; & nihilominus illa sit plebeia, vel inops, vel corrupta; ut exemplificando differant tam Canonistæ, quos cumulat Barbosa in Votis Decifivis lib. 2. vot. 19. à num. 55. quom Theologi, quos allegat Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 18. num. 2. ubi bene advertit, nunquam posse contingere errorem personæ absque aliqua ipsius personæ notitia vel ex visu, aut saltem ex auditu, & fama; nam in penitus ignotum nec consensum, nec affectum dirigere possumus. arg. l. Cum ab eo. Verb. Mensam. ff. De Contrahen. Empti.

Igitur Error circa personam, cum qua quis intendit contrahere, est impedimentum dirimens Matrimonium, & quòd ex jure naturali reddit ipsum nullum, irritum, & invalidum, non solum inter Christianos, sed etiam inter infideles, qui legibus Naturæ tenentur, ut docent S. Thomas in 4. dist. 30. q. 1. art. 1. & in Addit. 3. p. quæst. 61. art. 1. Averfa quæst. 12. sect. 1. Sanchez d. disp. 18. num. 11. Basilius Pontius lib. 4. cap. 20. num. 3. & 7. Gonet de Matrim. disp. 9. num. 3. Salmanticenses, alios plures allegantes, traç. 9. cap. 10. num. 4. Maffrius d. disp. 7. numer. 387. Bifus in Hierurgia tom. 1. Verb. Error. numer. 114. & Emin. Card. de Lauræa de Matrim. disp. 21. num. 3. Ratio est, quia, qui errat, non consentit. l. Si per errorem. ff. De Jurisd. omn. Judic. & errantis nullus est consensus. l. Cum testamentum. l. Non idcirco. C. De Juris, & facti ignor. Sed ad contrahendum Matrimonium necessarius est consensus. cap. Unico 29. quæst. 1. cap. Tua nos. De Spor. G. solib.